



Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Manfredi Regis Siciliæ epistolæ tres.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

deplorandum fratris nostri decesum mollitem
quasi subivimus muliebrem: quia dum ejus jam es-
set ætas proiecta virtutibus, in cuius humeris cu-
ras nostras confidenter appendere poteramus, me-
tentis æqualiter omnia mortis austertas, flore ju-
ventutis suæ, præmativa nimis falce præsecuit, &
quasi prædonis sagacitate subrepens, sic improvisè,
sic subito naturæ magistras manus elusit. Verum
cùm ad hæc reparanda discrimina artes & opes hu-
manæ deficiant, quæ potius dispositionis supernæ
provisio & facti generalis æqualitas consolatur, do-
loris ejusdem, cuius vix de corde nostro cicatricis
occiduae signa transibunt, vobis affectuosè providi-
mus porrigendum. Nec credat unquam dilectio ve-
stra quòd affinitatis nostræ per hoc debilitata sine
fœdera, quæ in eo nobis convivente memoriter re-
manserunt, & in M. carissima sorore nostra super-
stite consorte nobilis viri Marchionis Messanensis
solidata perspicimus, & in heredes ejus partu gra-
tifico perpetuata sentimus. Quocirca non minùs
quām fratre nostro vivente de nobis puro corde
confidite; & si qua sunt in regnis nostris quæ sere-
nitatis vestræ grata sint usibus, vel affectui blan-
diantur, nobis exinde vota vestra exauditionem om-
nimodam relatura nobis per litteras vel nuntios
aperite.

MANFREDI REGIS SICILIAE

epistola ad quendam Doctorem

Decretorum.

MANFREDVS &c. magistro Nro Decreto-
rum Doctori. Inter alia decoris insignia qui-
bus regni nostri possessio præclara tripudiat, desi-
deramus ibidem liberalium artium condimenta con-

Hh ij

crescere & litteralis scientiæ munimenta florere; ut sicut regnum ipsum pacis & justitiae complexione nunc fruitur & rerum opulentia naturaliter gloriatur, sic ejusdem incolas, quos ingeniorum nativa fœcunditas ad consilia reddit alta conspicuos, per doctrinale commercium articulus vivæ vocis efficiat utili transfusione peritos. Ad quod laudabiliter peragendum, scholis ubique per regnum particularibus interdictis, universale studium in civitate Neapolitana consulta deliberatione præhabita providimus reformandum. De tua igitur fide & sufficientia laudabili testimonio perhibito coram nobis, te ad hujus operis participium invitamus, fidelitati tuæ præcipiendo mandantes quatenus ad civitatem ipsam docturus in scientia Decretorum, & nobis exinde placiturus, personaliter studeas te conferre, de munificentia nostræ liberalitate securus quod præter fructum favoris & gratiæ quem à nobis propterea specialiter consequeris, consuetudines omnes & bonos usus quibus unquam temporibus felicis memorie Domini genitoris nostri Doctores & Scolares in studio ipso morantes uti & gaudere sunt soliti, faciemus tibi & alijs moraturis ibidem inviolabiliter observari.

Ejusdem epistola ad Iusticiarum Neapolitanum.

MANFREDVS &c. Iusticiar &c. Ad regiæ præfaturæ fastigiū providentia divina vocati, more consulti patris familias, cui debet inesse de subditis, inter sollicitudines alias nostris sensibus inherentes continua reddimur cordis pulsatione pervigiles qualiter regnum nostrum, quod præter turbationis præteritæ tumultus innumeros non sine multis personæ nostræ laboribus, in plurium siquidem injuriam po-

pulorum , omnimoda pacis tranquillitate nunc frui-
tur & ubertate rerum vitalium naturaliter gloriatur ,
prudentiam fulcimento virorum , per quos curæ re-
rum geruntur officia , nostris artificiosè temporibus
ampliare possimus , ut fideles regnicolæ ad artium
erudimenta famelici , per aliena , ut assolent , stu-
dia mendicare suffragia non coacti , paratam in reg-
no mensam refectionis inveniant , & tamquam do-
mesticis fulta dogmatibus eructantis ex hoc in
illud eorum promptuaria plena fluant . Ad hoc enim
nos progenitoris nostri clara prioritas laudabilibus
invitat exemplis , qui virtuosæ mentis argumento
compositus sic statuit in regni pomœrio scientiarum
virgulta concrescere ut viros ibidem in qualibet fa-
cultate peritos , non solum ut incolas filios , gratia
propriæ suavitatis imbueret , sed ad remotas & exte-
ras nationes de cisternis suis aquas effunderet la-
bii sitibundis ; sicque dum contigit in ijs causæ mu-
nimenta desicere , cœperunt causata diminui , &
tot regnum ex cultorum inopia sentire jaēturas
ut impudenter rogare cogatur ab alijs quod abun-
danter solebat alijs erogare . Cupientes igitur super
hoc , paternis inhærendo vestigijs , tam prædictorum
gratam renovare memoriam quam regnum ipsum
gratis novitatis nostræ primordijs decorare , univer-
sale studium in civitate Neapolitana , consulta nu-
per deliberatione præhabita , providimus reformatum ,
ut civitatis locus profecto maris & terræ
fæcunditate præclarus , ubi studendi congruentia
se quavis habilitant ædificata in sapientia sibi do-
mo & repletis in doctrina cellaris , docentium
& addiscientium oculis se præbeat liberalem , ac ve-
litt mater fœcunda gignasij , quæ videbatur jam ex
desuetudine pariendi senescere , per doctrinale com-
merciū ad puerperium juvenescat , particularibus
cholis ubique per regnum generaliter interdictis ,

Vide Perr. de
Vineis lib 3.
epist. 11. 12.

Vide Ray-
nald. ad an.
1256. §. 33.

Hh iij

excepto studio medicinæ in civitate Salerni, quod exerceri nobis placet ibidem, sicut prædicti partis nostri temporibus extitit consuetum. Ad quod tam celebre quam solenne convivium magistros quoilibet & scholares in qualibet facultate studentes libenter & hilariter invitamus, firmiter promittentes eisdem quod privilegia, libertates, & bonos usus, quibus unquam temporibus felicis memoriz Domini patris nostri uti & gaudere sunt soliti, faciemus in studio ipso morantibus tenaciter observari. Quocirca sinceritati tuæ firmiter præcipiendo mandamus quatenus sicut gratiam nostram diligis & honorem, statim "præsens nostræ jussionis oraculum per civitates & loca singula jurisdictionis tuæ, ut nullus de ignorantia supradictorum materiam excusationis inveniat, studeas publicare.

Eiusdem epistola ad quendam Castellanum.

FIDELES noster sua nobis assertione propositum quod dum pridem cum hominibus de ad locum quendam extra ipsius terræ mœnia in festo beati Petri, cuius ibi vocabulum in die illo solenniter colebatur, accederet, casualiter accidit quod tantisper in ipsum fortuna ludente, homines ipsi jocos, tunc solatijs resoluti, volentes memorabile aliquid festivis donare tripudijs, eundem in fontis cuiusdam balneo sub novæ militiae solennitate lavarunt, & per duos milites ab inde transeuntes, ut *tyrocinij decus celebrius ageretur, procuravere balneatum eundem militiae cingulo decorari sub veste rubea & alijs gaudiorum insignijs, ipsum in terram eandem militariter & exultatione plurima reducentes; sique, ne facti hujus nova solennitas beneficiorum liberalitate careret, quam-

* id est, torneamenti seu
bastiludij.

plures ex dictis hominibus habuit ad plura & diversa pollicita liberales. Sed quos sentiunt ad verba tunc faciles, ad facta nunc reperit contumaces. Super quo, eo supplicante sibi per nostram magnificientiam in favorem militiae provideri, devotioni tuae præcipiendo mandamus quatinus si præmissis veritatem repereris suffragari, ne honoris tanti mysterium, quod laudabilem habuit in sua prosecutione congressum, ludibriosis proventibus evanescat, promissiones quilibet quas eidem . . propterea constiterit fore factas, eidem efficaciter facias observari.

LEONIS ALLATII

EPISTOLA

AD

IOANNEM MORINVM.

*Clarissimo eruditissimoque viro Ioanni Morino
Leo Allatius S. P. D.*

IC non potest, vir præstantissime, quanta lætitia afficiar & gæstiam voluptate cùm mihi tuæ literæ perferuntur. Fit quandoque ut magnifice me etiam inter amicos inferam. Illis enim aliquid sapere mihi videor cùm mihi Morinus (qui vir!) melioribus suis curis neglegetis dignatur aliquid scribere, quo ipse melior semper evado, *καὶ μεγίστῳ διδάσκου μένετο*. Tu planè melius, doctrina & eruditione qua polles, dubijs, si à me proponerentur, respondisses. Ut tamen morem geram, in negotio pœnitentiæ Græcorum usum quām brevissimè

H h iiii